APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R.

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

G. E. BOLMÉER,

GOTHOB.

DIE 26 MAJI 1841.

P. XLVII.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXLI.

Aphorismi Respondentis.

I.

Methodum hactenus usitatam linguæ Romanæ perdiscendæ, plus temporis consumsisse, quam patiatur immensa ceterarum, quæ nobis discendæ sunt, rerum multitudo, sæculorum experientia jure aliquo dolere videtur.

II.

Legem Dei moralem hac in mortalitate mortalium perfecte servare potest nemo.

---

pratella vendat aut distrahat aut permutet, vel qui prædia vel fundum ecclesiæ reddiderit desolata, tanquam dilapidator ecclesiæ puniatur per privationem beneficii.

De artificibus non admittendis.

Nullus admittat muratores, pictores vel alios artifices ad fabricam ecclesiæ, sine licentia diœcesani vel capituli, nec cum eis aliquem contractum faciat sub pœna trium marcarum.

De Inventariis.

Qvilibet curatus habeat literas inventarii sigillatas sub pœna trium marcarum.

De Subtractoribus bonorum sacerdotalium.

Bona sacerdotum mortuorum vel infirmorum subtrahens occulte vel manifeste, excommunicationis sententiam incurrit ipso facto.

De Indumentis et habitu Sacerdotum.

Prælati, sacerdotes et curati clausa debent habere desuper indumenta, ita quod se extrinsecus non cingant, tonsuram quoque debitam habeant, sub pæna trium marcarum.

De laicis advenis adducentibus secum mulieres.

Laici advenæ et ignoti adducentes secum mulieres ad parochias curatorum, nisi literis et testibus docuerint se esse legitime conjunctos, non permittentur divinis interesse, nec ad eucharistiæ perceptionem, nisi in mortis articulo, admittentur. Curati scientes tales intiment præposito, sub pœna trium marcarum. Curati etiam permittentes tales divinis interesse, toties quoties, pari pœna puniantur.

De pænis usuratorum.

In omnibus ecclesiis parochialibus in majoribus solennitatibus publicentur pœnæ usuratorum, quæ sunt, corpus Christi denegetur eis, nullus eos ad confessionem recipiat, nec absolvat, nisi satisfecerint, vel cautionem dederint satisfaciendi, nec possint facere testamentum, careant ecclesia-

stica sepultura; imo eos sepeliens est excommunicatus ipso facto, nec oblatio eorum recipi debet, imo recipiens tenetur ad restitutionem sub pœna privationis officii.

De nuptiis.

Nullus presbyterorum temporibus a jure prohibitis sub pœna privationis sui officii sacerdotalis nuptias solenniter benedicet seu celebret; si secus egerit, post ea celebrando ut prius, ipso facto notam irregularitatis incurrit, a qua non potest absolvi, nisi per sedem apostolicam, et per arbitrium ordinarii punietur.

Qui Clerici possunt testari.

Clerici indigenæ et alienigenæ de bonis propriis, quocunque intuitu, juste acquisitis, possunt testari, et eorum exsequutores voluntatem testatoris fideliter exequi debent.

De Clericis intestatis.

Si quis presbyterorum decesserit intestatus, episcopus cum consensu capituli statim comperta morte sex exequutores ordinet, qui bona defuncti dividant in tres partes, solutis primum debitis procurationibus et consvetis oneribus. Una pars cedat studentibus, secunda hæredibns, et tertia per episcopum cum consensu capituli pro anima defuncti ordinetur. Et ille dicitur decedere testatus, qui coram testibus duobus fide dignis ad minus testamentum condidit, et codicillum scripsit vel scribi fecit, sigillavitque proprio sigillo, vel etiam sui confessoris.

De Benedictionibus nuptiarum.

Mandatur, quod ubi duo vel plura festa continuantur, benedictiones in ultimo celebrentur, nec permittantur benedictiones fieri in priori festo, etiam sub cautela fidejussoria de non intrando lectum cum sponsa. Contrarium faciens ordinario tres marcas emendabit.

De Benedictionibus secundarum nuptiarum.

In benedictionibus secundarum nuptiarum observetur, quod quando vir alias benedictus contrahit cum virgine vel corrupta, alias non benedicta, nuptiæ solenniter benedicantur, juxta ecclesiarum consvetudinem. E converso vero vidua

alias benedicta si contrahit cum viro, alias benedicto, vel non benedicto, non fiat benedictio solennis, et intelligitur istud de illa benedictione, quæ legitur sub pallio post elevationem.

De pœna benedicentium secundas nuptias.

Pœna benedicentium secundas nuptias est suspensio beneficii et officii secundum jura. Et legatur in benedictione, quæ fit sub pallio, in numero singulari sive sint plures sponsæ, sive una sponsa. Item *credo* dicatur in missa in festo IV. Doctorum.

De Clericis domicilium extra natalem diæcesin eligentibus.

Clerici alterius diœcesis in diœcesi, qua domicilium elegerint, ad sacros ordines promovere permittuntur, ita tamen quod non prohibeantur redire ad natalem diœcesin per ordinatorem, si ex causa rationabili redire proponant.

De quota et conscriptione decimarum.

Tempore invectionis decimarum curatus per se, vel per alium fidelem, cum tutoribus, conscribat inferentes, vel eorum nomina, et quotum mensuræ cujuslibet infertur, et omnes decimæ tam episcopales, quam canonicales, vel ecclesiæ, in granarium ecclesiæ similiter computentur, et postea secundum consvetudinem diœcesis dividantur. Collectores vero pro suo labore ut granarii in esse conservatione et structura, duos modios de qualibet lesta percipiant ex indiviso.

Qui decimentur de singulis fructibus.

Omnes de suis fructibus quibuscunque, exceptis contra hoc specialiter privilegiatis, lege tenentur decimarum, easque conservare et inferre, sive sint clerici, laici, vel nobiles cives, vel oppidani, inquilini vel agricolæ. Non solventes debitas decimas, si decesserint, careant ecclesiastica sepultura. Contra autem prohibentes decimas recipi in granarium, interdicto canonico procedatur.

Pater noster, Ave Maria, Credo in lingua materna per curatos singulis diebus dominicis et festivis coram populo recitentur, sub pœna trium marcarum.

De perimentibus se ipsos.

Se ipsos voluntarie perimentes prohibeantur, tanquam excommunicati, in ecclesia vel cimiterio sepeliri; et si sepeliantur ibidem, locus sepulturæ est pollutus.

De Concione sacerdotum in die Parasceues.

Curatus habens plures ecclesias parochiales in die parasceues, licet circa plures earum officium peragat, tamen non communicet nisi semel.

De Birretis.

Prohibetur clericis non prælatis, canonicis aut graduatis, deferre in capite birreta fusca. Contrarium faciens solvat unum birretum privilegiato, vel valorem ejus, illi qui deprehendit delinquentem.

De inspiratione super Corpus Christi, et Calicem.

Prolatis verbis consecrationis super corpus Christi et calicem, fiat eorum elevatio sine inspiratione per modum crucis post consecrationem, et sine versione hostiæ ad austrum et aquilonem.

De percussoribus Presbyterorum.

Nonnunquam simplices et juris ignari presbyteri in ebrietatibus exortis discordiis a suis compotatoribus percutiuntur et inhoneste tractantur; post compositionem et concordiam invicem facientes, ac per hoc sine aliqua absolutione eisdem suis invasoribus et percussoribus communicantes, et ecclesiastica sacramenta ministrantes. Quod cedit in periculum animarum, et in dehonestationem reverentiæ clericalis, atque etiam in ecclesiasticæ censuræ contemptum. Ideo hæc fieri districte inhibemus, mandantes ut omnes conscii, sub pœna excommunicationis sententiæ ferendæ ad suorum diœcesanorum notitiam hoc deducant; percussores autem et percussi pœna juris in marcis denariorum puniantur.